Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Dhabueritis ad inuicem.

Dominus inc mandatu nouu se discipulis suis dare
testatur ut diligant inuicem. Mandatum inquit nouum do uobis ut dili
gatis inuicem. Nonne iam erat hoc mandatum in antiqua dei lege ubi
scriptum est diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Cur ergo mandatum nouum
appellatur a domino quod tam uetus esse coniungitur. An idcirco est mandatum nouum quia
exuto uetere induit nos hominem nouum. Innouat quippe audientem
et pocius obedientem non omnis sed ista dilectio. Quam dominus ut a carna[illegible]li di
lectione distingueret addidit sicut dilexi uos. Nam diligunt inuicem
mariti et uxores parentes et filii et quecumque alia homines inter se ne
cessitudo humana deuinxerit. Ut taceamus de dilectione culpabili
atque damnabili qua diligunt ad inuicem adulteri et adultere scor
tatores et meretrices et quoscumque alios non humana necessitudo sed hu
mane uite noxia turpitudo coniungit. Mandatum ergo nouum nobis de
dit xpc ut diligamus inuicem sicut et ipse dilexit nos. Dilectio ista nos
innouat ut simus homines noui heredes testamenti noui cantatores
cantici noui appetitores seculi noui. Hec dilectio fratres karissimi an
tiquos etiam iustos tunc patriarchas et prophetas sicut postea beatos apostolos in
nouauit ipsa et nunc innouat gentes et ex uniuerso genere humano
quod diffunditur toto orbe terrarum facit et colligit populum nouum corpus noue
nupte filii dei unigeniti sponse de qua dicitur in cantico canticorum. Que est
ista que ascendit de albata. Utique de albata quia innouata. Unde nisi a
mandato nouo. Propter quod pro inuicem in ea sollicita sunt membra. Et si patitur u
num membrum compaciuntur omnia membra et si glorificatur unum membrum congaudent
omnia membra. Audiunt enim atque custodiunt mandatum nouum do uobis
ut uos diligatis inuicem non sicut se diligunt qui corrumpunt nec sicut se di
ligunt homines quomodo homines sunt sed sicut se diligunt quomodo dii sunt et filii
altissimi omnes ut sint filio eius unico fratres ea dilectione diligentes in
uicem qua ipsa dilexit eos perducturus eos ad illum finem qui sufficiat eis
ubi saciet in bonis desiderium eorum. Tunc enim aliquid desiderio non deerit
quando omnia in omnibus deus erit. Talis finis non habet finem. Nemo ibi moritur
quo nemo peruenit nisi huic seculo moriatur non morte omnium quam corpus ab anima
deseritur sed morte electorum qua etiam cum in carne mortali adhuc manetur
cor sursum ponitur. De qua morte dicebat apostolus paulus. Mortui enim estis
et uita uestra abscondita est cum xpo in deo. Hinc fortasse dictum est. Valida est
sicut mors dilectio. Hac enim dilectione fit ut in isto adhuc corruptibili
corpore constituti moriamur huic seculo. Et uita nostra cum xpo abscondatur in
deo. Immo ipsa dilectio est mors nostra in seculo et uita cum deo. Si enim mors est
quando de corpore anima exiit quomodo non est mors quando de mundo amor